



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XLV. Vt cambiare vel quaerere nullus audeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

XLIV.

De manducariis equorum.

Vtilis res est cunctis, hoc præceptum a nobis constitutum vt indeclinabiliter amodo teneatur. Nullus autem frater facere præsumat manducaria linea vel lanea, idcirco principaliter facta; nec habeat vlla, excepto profinello.

XLV.

Vt cambiare vel quærere nullus audeat.

Nunc aliquid restat, vt nullus præsumat cambiare sua, frater cum fratre, sine licentia magistri; & aliquid quærere, nisi frater fratri, & sit res parua, vilis, non magna.

XLVI.

Vt nullus auem cum aue capiat, nec cum capiente incedat.

Quod nullus auem cum aue accipere audeat nos communiter iudicamus: non conuenit enim religioni sic cum mundanis delectationibus inhærere, sed Domini præcepta libenter audire, orationibus frequenter incumbere, mala sua cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. Cum homine quidem talia operante, cum accipitre, vel alia aue, nullus frater remanens hac principali causa ire præsumat.

XLVII.

Vt nullus feram arcu vel balista percutiat.

Cum omni religione ire decet, simpliciter, & sine risu, humiliter, & non multa verba, sed rationabilia loqui, & non sic clamosa in voce. Specialiter iniungimus & præcipimus omni fratri professo, ne in bosco cum arcu aut balista* aut iaculari audeat, nec cum illo qui hoc fecerit ideo pergat, nisi gratia eum custodiendi a perfido gentili: nec cum cane sit ausus clamare vel garrulare; nec equum suum cupiditate accipiendi feram pungat.

* ferra
auein

XLVIII.

Vt leo semper feriatur.

Nam est certum, quod vobis specialiter creditum est & debitum, pro fratribus vestris animas ponere, atque in-